

**B**alneorum,  $\beta\alpha\lambda\alpha\nu\eta\alpha$  dictorum, apud antiquos  
(quemadmodum adhuc apud Germanos)  
frequentissimus usus fuit, velut totius corporis re-  
medium, non solum ad affectus externos, verum  
& internos, quod sudandi, lauandi, detergendi-  
que corporis usibus est deputatum, cuius multæ  
sunt differentiæ: Aliud enim est naturale <sup>a</sup>, aliud  
artificiale. Naturale aliud calidum, aliud frigi-  
dum, quæ rursus ratione mineræ variant: Si nam-  
que calidæ sint, sulphur habent terræ, pinguedi-  
nem, quæ accensa à calore subterraneo, calidas  
reddunt aquas, & hæ Thermae dicuntur. Si vero  
sulphur minori sit quantitate, tepidæ redduntur,  
vel etiam frigidæ permanent, nisi & bitumen ad-  
misceatur. Quare balneorum in minera vel sulphur  
est solum, ut in Helueticis, vel sulphur cum alu-  
mine, ut in Marchiacis, vel etiam plumbum, quod  
de Plumbariis creditur, vel ferrum, vel aurum,  
quod de Fabariis dicitur, vel aliud aliquod me-  
tallum.

Quodcumque autem sulphureum est, aut bi-  
tuminosum, affectibus cutis utile est. Quod si ve-  
ro & alumen sit admixtum, abstersionis caussa et-  
iam in cutaneis affectibus usurpari potest.

Ad balnea naturalia referri debet lotio in flu-  
minibus <sup>b</sup>, quæ intemperies calidas corrigeret, in-  
anitiones corporis immodicas coercere possunt:  
cum refrigerando, cutim condensare, poris ob-  
structis sudores cohibere, sicque tenuioris sub-  
stantiæ dissipationem impedire potest.

Arti-

<sup>a</sup> Vide Ori-  
bos. 10. coll.  
3. Aer. tetr. I.  
ser. 3. e. 167.  
Aegin. lib. I.  
cap. 52.

<sup>b</sup> De frigidi-  
lauacri usu  
ex Gal. ha-  
bet Oribo-  
sus 10. coll. 6.  
Aer. tetr. I.  
ser. 3. e. 168.  
Aegin. lib. I.  
e. 15.